

71
ipsa quoque Romana Censura in quinquennium instituta M.
Gegano T. Quintio Coss. teste Livio lib. IV. c. 8. post no-
vem annos a Mam. Emilio Dictatore ex quinquennali intra
sex mensium, & anni spatium redacta fuit, ut idem Livius
docet eod. lib. IV. c. 24.; similem quoque immutationem
Quinquennialitatem Coloniarum subiisse, manente tamen digni-
tatis nomine, probabile mihi videtur; Imo, quum eodem nihi-
lominus vigente nomine perpetuam aliquando fuisse illam scia-
mus ex antiquis Inscriptionibus, non dico in Collegiis, cujus
sexcenta sunt exempla ad rem non facientia, sed in ipsis Co-
loniis, & Municipiis, ut ex elegantissima Inscriptione constat
in Gudiano Opere vulgata pag. CCVIII. 5., quam Verulis
ipse Gudius vidit, ac descripsit.

L . ALFIO L . F . COR

VALENTINO II

VIR IT . QQ . P . MV .

II VIRO ITERUM Quinquenniali Perpetuo (*) Municipii; non
est cur dubitemus annuam aliquando fuisse, ut ex nostra Inscr-
ptione apparet.

His ita firmatis facile intelligemus quo pacto quis fuerit
non solum bis, ut supra dictum est, & tertium Quinquennialis,
sed etiam quartum Quinquennialis, ut in Inscriptione Ami-
tertina apud Gruter. pag. CCCLXXX. 6. in qua M. CAE-
SIVS . M . F . PAL . MAGNVS II VIR I . D . II VIR
QQ . IIII. habetur; alias enim per viginti annos in eo Magi-
stratu fuisse M. Caesium vix credibile esset.

Age nunc Quinquennialium munera breviter percurramus.
Primo ad Quinquennales pertinebat censum in Colonia agere;
auctor est Livius lib. XXIX. cap. 15. *Censum in iis Colonia
agi ex formulâ Romanis Censoribus datâ: dari autem placere
eamdem quam Populo Romano, deferrique Romam ab iuratis Cen-
soribus Coloniarum, priusquam Magistratu abirent: tabularumque
illius exemplum alterum fortasse Romam mittebant, alterum
certe in Coloniz tabulario servabant. Hinc Cicero in Orat.
pro*

(*) Eadem Inscriptio habetur ex Schedis Manucianis Biblioth. Vatic. in Collect. Don. Cl.
V. 4. ; ita describitur II. VIRO II. QQ. P. M. V. restius fortasse. Quinquenniali Perpetuo
Municipii Verulani. Verulis enim exstat Inscriptio.